



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce  
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte  
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi  
coadiutoris**

**Juan <de la Cruz>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1639**

Cantvs Vigesimvsnonvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37873**

CANTVS VIGESIMVS-  
NONVS.

CANCION XXIX.

SENSVS.

*De baxo del mançano  
Alli con migo fuisse desposada  
Alli te di la mano,  
Y fuisse reparada  
Donde tu madre fuerat violada.*

*Sub arbore mali  
Ibi mihi fuisti desponsata,  
Ibi dexteram tibi dedi,  
Et fuisti reparata,  
Vbi mater tua fuerat violata.*

## DILVCIDATIO.

In hoc sublimi statu matrimonij spiritualis facillime crebriusque reuelat Sponsus animæ admiranda secreta sua, & operum suorum participem efficit. Verus namq; & integer amor nihil celare nouit amico; præsertim vero illi cõmunicat sua in incarnationis suæ mysteria, modum etiam ac seriem humanæ redemptionis, opus sanè inter alia Dei opera excellentissimum, atque adeo ipsi animæ dulcius. Hoc itaq; facit Sponsus in præsentī Cantu: in quo denotatur, quomodo maxima dulcedine amoris manifestat animæ interius præfata mysteria. Vnde ipsam alloquendo commemorat, quem admodum per arborem crucis sibi desponsata fuerit, misericordiæ suæ fauorem ei conferendo, dum pro ipsa mortem subire voluit, & hoc pacto formosam eam ac decoram reddere; Eo siquidem medio, quo humana natura per Paradisi arborem in protoparente Eua corrupta fuerat, eam reparauit atque redemit: ait igitur,

*Sub arbore mali.*

Mali nomine subintelligit arborē Crucis, in qua Dei filius naturā humanam redemit atque adeo sese illi desponsauit, ac per cõsequens vnique animæ, gratiam & pignora ad hoc condigna, per merita passionis suæ tribuendo; vnde ait,

*Ibi mihi fuisti desponsata  
Ibi dexteram tibi dedi.*

Nimirum fauoris & auxiliij mei, à mihi sero infimoque statu tuo erigendo te, ad societatem & desponsationem meam:

*Et fuisti reparata  
Vbi mater tua fuerat violata.*

Quoniam natura humana mater tua in protoparentibus tuis sub arbore violata fuit: tu quoque ibidem sub arbore Crucis reparata es, adeo vt si mater tua sub arbore te morti addixit, ego quoq; sub Crucis arbore te vitæ asserui. Atque in hunc modum manifestat illi Deus ordinationes & sapientiæ suæ dispositiones, quod nimirū ita sapienter & eleganter ex malis nouit elicere bona, atque ad maius bonum ordinare id, quod mali origo fuit. Hoc ipsum quod in hoc cantu ad literam continetur, idem Sponsus cum Sponsa loquens in Canticis dixit his verbis: *Sub arbore mali* Cant. 8. 5.

*suscitauit te, ibi corrupta est mater tua,*

*ibi violata est genitrix tua.*

(.†.)

Ggg CAN-